

C. PLINII CAECILII SECVNDI EPISTVLARVM LIBRI

IX, 36

Cn. Pedanio Fusco Salinatori, senatori facundo, quaerenti, quam vitae rationem et studiorum in secessu seu villa temporibus teneat aestivis, exponit.

GĀIUS PLĪNIUS FUSCŌ SUŌ SALŪTEM DĪCIT.

- 1 Quæris, quemadmodum in Tūscīs diem aestāte dispōnam. Ēvigilō cum libuit, plērumque circā hōram p̄imam, saepe ante, tardius rārō. Clausae fenestrae manent ; mīrē enim silentiō et tenebrīs ab iīs, quae āvocant, abductus et līber et mihi relictus, nōn oculōs animō, sed animum oculīs sequor, quī eadem, quae mēns vident, quotiēns nōn vident alia.
- 2 Cōgitō, sī quid in manibus, cōgitō ad verbum scrībentī ēmendantīque similis, nunc pauciōra nunc plūra, ut vel difficile vel facile compōnī tenērīve potuērunt. Notārium vocō et, diē
- 3 admissō, quae fōrmāveram dictō ; abit, rūsusque revocātur, rūsusque dīmittitur. Ubi hōra quārta vel quīnta (neque enim certum dīmēsumque tempus), ut diēs svāsit, in xystum mē vel cryptoporticum cōnferō, reliqua meditor et dictō. Vehiculum ascendō. Ibi quoque idem, quod ambulāns aut iacēns ; dūrat intentiō mūtātiōne ipsā refecta. Paulum redormiō, dein ambulō, mox ōrātiōnem Graecam Latīnamve clārē et intentē nōn tam vōcis causā quam stomachī legō ;
- 4 pariter tamen et illa firmātur. Iterum ambulō, ungor, exerceor, labor. Cēnantī mihi, sī cum uxōre vel paucīs, liber legitur ; post cēnam cōmoedia aut lyristēs ; mox cum meīs ambulō,
- 5 quōrum in numerō sunt ērudītī. Ita variīs sermōnibus vespera extenditur, et, quamquam longissimus, diēs bene conditur.
- 6 Nōn numquam ex hōc ōrdine aliqua mūtantur : nam, sī diū iacuī vel ambulāvī, post somnum dēmum lēctiōnemque nōn vehiculō, sed, quod brevius, quia velōcius, equō gestor. Interveniunt amīcī ex proximīs oppidīs, partemque diēi ad sē trahunt, interdumque lassō mihi opportunā interpellātiōne subveniunt. Vēnor aliquandō, sed nōn sine pugillāribus, ut, quamvīs nihil cēperim, nōn nihil referam. Datur et colōnīs, ut vidētur ipsīs, nōn satis temporis, quōrum mihi agrestēs querēlae litterās nostrās et haec urbāna opera commendant. Valē.